MEMORIÆ
VIRI AMPLISSIMI ET INTEGERRIMI

DN. PETRI FRIDEBORNII,

SENATORIS ET MERCATORIS INTER CIVES STETINENSES PRIMARII,
ANNO ÆTATIS LV.
PIE DEFUNCTI
ET STETINI IV. IDUUM QVINTILIS
SOLEMNITER HUMANDI

SACRUM:

CUM INVITATIONE
STUDIOSÆ IN GYMNASIO REGIO STETINENSI JUVENTUTIS
AD EXEQVIAS DECENTER CELEBRANDAS
FACTA
A

M. DANIELE Schultzen/
CONRECTORE.

STETINI,
Typis GEORGII GOETSCHII, Reg. Pædag. Typogr.

MEsſis adſunt tempora, flaventia undiq; ſata ſolicitum invitant colonum. Mesſores falcibus ſegetem reſecant, fragilesq; culmos humū reclinant: pars eos faſciculis coërcent, pars hinc inde per agros mergites certa ſerie erigunt, pars in horrea convehunt, theſaurumq; recondunt. Cernere eſt caſtrorum ritu tentoria qvaſi ſegetum campis ſparſa: clamor & jubila ſocios per viciniam exhortantium & falcium attritarum ſonus ſumma cum voluptate clangunt. Interea fora vacant, lites, longo tum uſu legumq; placitis, qvieſcunt. Divus Marcus noluit circa rem ruſticam occupatos, cum mesſis vindemiæq; ſunt, in forum compelli. D. Trajanus, ſpicam fœnumve cæſum, uvam ademptam, excusſam oleam, vindemiam coactam â forenſibus negotiis vacationem dare, reſcripſit. Verum qvietem legibus concesſam ignorat mors: neſcit illa inducias, neſcit juſtitium, neſcit ulli vel loco vel tempori vacationem concedere. Sicut immitem illius convadationem ſenſit etiam Vir amplisſimus & integerrimus Dn. PETRUS Friedeborn/ reip. Stetin. Senator; ejusq; forum ſeqvi jusſus eſt in ipſis jam mesſis feriis. Admonemur ſcilicet communis noſtræ totiusq; univerſi ſortis. Qvemq; manet ſua mesſis, totusq; orbis ſuā exſpectat mesſem: hic in conſummatione ſeculi; illi in vitæ ſuæ clauſula. Mesſis eſt conſummatio ſeculi, inqvit Servator noſter in explicatione parabolæ de zizaniis, mesſores ſunt Angeli. Mesſis eſt cujusvis obitus, qvando inſtar culmi maturitate jam albeſcentis falce mortis reſecatur, ſepulcroq; ceu horreo reconditur. Neq; hic cuipiam immaturitatem qvandam allegare licet vel ætatis, vel annorum, qvod nondum attigerit illum vitæ terminum, qvem vel Solon, vel Moſes & Eſaias, vel Juris conſulti pepigerunt: qvorum il-

le

le ſeptuaginta, iſti totidem vel ad ſummum octoginta, hi centum annos poſuerunt. Satis jam annorum habet, qvem ex hac mortalitate vocat fatum: ſatis jam maturus eſt, qvi bene moritur: modo pueros, modo adoleſcentes in curſu à tergo inſeqvens nec opinantes ſua adſeqvitur ſenectus. Apud Hypanin fluvium Ariſtoteles ait beſtiolas qvasdam naſci, qvæ unum diem vivant. Ex his igitur hora octava qvæ mortua eſt, provecta ætate mortua eſt: qvæ verò occidente ſole, decrepita: eo magis, ſi etiam ſolſtitiali die. Confer noſtram longisſimam ætatem cum æternitate: in eadem propemodum brevitate, qva illæ beſtiolæ, reperiemur. Contemnamus igitur omnes ineptias: qvod enim levius huic levitati nomen, inqvit Cicero lib. 1. Tuſc. qvæſt. imponam? totamq; vim bene vivendi in animi robore ac magnitudine, & in omnium rerũ humanarum contemptione ac deſpicientia, & in omni virtute ponamus. Sed nec parũ hoc ipſum mesſis tempus, mortisq; cum meſſe cognatio, ad mortem lubenti animo excipiendam faciet; inprimis ſi & ſuam qvisq; mortem meſſem fore credat. Mesſem omnibus votis exoptant coloni: mesſis ſpe labores ſolantur, animumq; rei familiaris cura vacillantem ſuffulciunt. Haud minus & nos vitæ labores futuræ mortis ſpe toleremus, nec vel pueritiæ herbæ, vel juventutis flori tantum tribuamus, ut vitæ idcirco fructus in mortis meſſe negligamus. Illa laborum eſt meta, ærumnarũ terminus, veræ qvietis initium & horreum tutisſimum; ubi nec tempeſtas porro ſentitur, nec grando timetur, nec ſiccitate laboratur. Pleriq; qvidem mortalium ut vitam non ſuo merito æſtimant, ita de morte injuſta fere arbitria agunt. Illam & amant tenere, & fovent anxie, & omnibus modis tueri ſtudent: pro ea vota ſuſcipiunt, allegant preces, nec durisſimos adire recuſant labores: huic arant, huic navigant, & arcana naturæ fœdera qvaſi perrumpunt; cum ta-

 men

men tota ſit vana, incerta, ad nebulæ inſtar inanis, curarum domicilium, dolorum officina & vaſtum malorum omnium mare. Iſtam autem qvam deprecantur & fugiunt? Qvam habent exoſam penitus & formidatam adeò, ut vel ad nudum ejus nomen toti cohorreſcant? Qvæ tamen bonum eſt expetendum, qvod nos liberat ab omni timendo, uti Tertullianus loqvitur: qvæ ex labore nos ad qvietem, ex æſtu ad refrigerium, ex dolore ad voluptatem, ex fletu ad ſolatium, ex carcere ad libertatem, ex fide ad notitiam, ex mundo deniq; in æternam transfert patriam, qvæ D. Bernhardi eſt ſententia. A malis mors abducit, non à bonis, verum ſi qværimus, inqvit Cicero in Tuſculanis qvæſtionibus. Hoc à Cyrenaico Hegeſia ſic copioſe diſputatum fuit, ut is à Rege Ptolomæo prohibitus esſe dicatur illa in ſcholis dicere, qvod multi his auditis, mortem ſibi ipſis conſciſcerent. Callimachi epigramma in Ambrociotam Cleombrotum eſt, qvem ait, cum nihil ei accidisſet adverſi, à muro ſe in mare abjecisſe lecto Platonis libro. Non deterret itaq; ſapientem mors, qvæ propter incertos caſus qvotidie imminet, propter brevitatem vitæ nunqvam longe poteſt abesſe. Hoc meditatum ab adoleſcentia debet esſe, mortem ut negligamus, ſine qva meditatione tranqvillo esſe animo nemo poteſt. Moriendum enim certe eſt, & id incertum, an eo ipſo die. Mortem igitur omnibus horis impendentem timens qvi poterit animo conſiſtere? Verum in commune homines præſentibus ducimur, futura aut negligimus, aut de iis dubitamus: iisq; maxime rebus metimur felicitatem, qvæ præſto atq; ad manum ſunt & deſideriis noſtris explendis, ineptis ſæpius atq; abſurdis, inprimis faciunt. Hinc mortem vel ad nos accedentem horremus, vel functos alios dolemus. Qvanto melius ille paganus Sapiens: Nos vero, inqvit, ſi qvid tale acciderit, ut à Deo denunciatum videatur, ut exeamus è

vita;

vita; læti, & agentes gratias pareamus, emittiq; nos è custodia, & levari vinculis arbitremur: ut aut in æternam, & plane in nostram domum remigremus, aut omni sensu molestiaq; careamus: sin autem nihil denunciabitur, eo tamen simus animo, ut horribilem eum diem aliis, nobis faustum putemus: nihilq; in malis ducamus, qvod sit vel à Diis immortalibus, vel à natura parente omnium constitutum. Idem, cum dixisset, non temere nos, sed destinatione Numinis nasci: qvod constituerit etiam, ut post labores exantlatos incidamus in mortem: eamq; non malum interpretandum, sed portum atq; perfugium nobis; exoptat etiam, ut passis velis eò pervehi liceat. Qvanto rectius ita animatus erit Christianus, qvi in iis qvæ sperantur defixus animo potius est, qvam qvæ tenentur. Itaq; cum nascitur qvispiam, eum mortem ordiri censet: cum obit & solvitur, auspicari vitam existimat. Et tantum abest, ut mori fugiat; ut expetat potius ac optet liberari ergastulo corporis, & avolare ad illum, cujus sacramentum hactenus portavit. Atq; hujusmodi etiam oculis Beatus noster Defunctus mortem suam adspexit semper, hac mente eam anteactorum laborum statuit messem: ubi qvidem animæ datur initium novæ atq; æternæ vitæ, & qvidam ingressus ac aditus adeo in ipsam divinitatem; corpus vero dormitorii horreo reconditum universalem universi messem cum omnibus piis exspectat. Natus est Sedini anno currentis seculi sexto, pridie Kalendar. Julii, Patre Hermanno, Hermanni Fridebornii, civis & negotiatoris Stetinensis integerrimi, & Gertrudis Ladewiegs/ ex Eichstadiorum familia apud nos vetustissima oriundæ filio: Matre inter matronas nostrates optimæ notæ, Margareta, Christophori Millies mercatoris primarii, & Annæ Marqvarts plane antiqvis, hoc est, optimis moribus feminæ filia. Ut ita longe meliore jure, qvam illa apud Sophoclem gloriari posset, ἐυσεβὴς ἐξ

 ἐυσε-

ἐνσπείρων; sedula inprimis & arcta accedente educatione. Neq; enim contenti parentes ingenuam pignoris charissimi indolem domi efficacissimis exemplis ad industriam exstimulasse: publicorum etiam in schola patria curam auspicato adhibuerunt, sub qvorum fidelissimo moderamine indies proficiens insignia solertiæ suæ sperimina edidit; dum puer Latinitatis fundamenta ita jecit, ut postmodum, haud citra insigne oblectamentum, Latinos autores & legere & intelligere facile potuerit. Verum cum pueritiæ periodo circumvoluta certo mancipandus esset studio & vitæ generi; exemplo inprimis majorum allectus Chrematistico magis favit genius, qvam literato. Anno igitur ætatis 14. ablegatus est in Poloniam, & inde Gedanũ, ut Sarmatice loqvi disceret: cujus lingvæ ignorantia, Polonis nobis ita vicinis, mercatura apud nos creditur sterilior. Adolescens decem & octo annorum, qvibus plenam pubertatem prudentes definiunt, Amstelodamum venit: operamq; suam Dn. Abrahamo Danckerten / Negotiatori primario, non locavit tantum, sed etiam probavit: sive merces essent comparãdæ, sive conservandæ & distrahendæ, sive nomina hinc inde impeditiora cogenda. Atq; hujus ultimi inprimis negotii occasione una opera, qvasi aliud agens, unitas Belgii provincias peragravit, perlustravit, nec parum prudentiæ Politicæ sibi comparavit. Sexennio ita extracto tandem ad patrios remeare Lares consultum fuit, invitante inprimis matris viduitate; ut patriam hereditatem & adiret & administraret. Facile ubi ipsum ministrandi cepit satias, suis potius rebus & commodis, qvam alienis utilitatibus, serviendi incessit cupiditas. Unde porro de condenda familia solicitum uxorem, vitæq; & laborum sociam conqvirere juvit; talemq; tandem anno hujus seculi trigessimo qvarto, qvalem desideravit, invenit, re & nomine scilicet Benignam, Antonii Güteritzen

inter

inter cives & negotiatores noſtrates conſpicui filiam. Conjugium inde contigit,ſi ſocietatem conjugalem ſpectemus, jucundisſimum: ſi liberos, fœcundisſimum; qvatuor ſiqvidem numeravit filios & qvinqve filias: ſi cætera omnia,qvamdiu non ſolutum fuit, felicisſimum. Sed neqvaqvam bona eſt hæc impotens rerum humanarum domina, etiam cum maxime bona: ſæpeq; lætiores relinqvit, qvos nunqvam adſpexit, qvam qvos deſeruit. Noſter certe, cui hæc ſcribimus, qvam ſubito de ſummo felicitatis gradu delapſus eſt? qvando non ſolum omnes, præter unam, natos, ſed & uxorem dulcisſimam à complexu ejus avulſit, & ex hac vita abduxit mors. Qvid hic ageret? res familiaris ſatis erat ampla, nec domui ſuæ pariter & curiæ, cui tunc commodum adſociatus fuerat, vacare poterat: de conjuge igitur denuo cogitare cœpit. Solent qvidem nuptiæ ſecundæ raro esſe ſecundæ: Sed noſter qvam rurſus experiri jusſus eſt fortunam,non expertus eſt niſi indulgentisſimam. Uxorem enim largita eſt virginem lectisſimam optimeq; moratam, Mariam, Viri amplisſimi & prudentisſimi, Dn. Chriſtiani Malchinii, reipubl. Stetinenſ. Camerarii fidelisſimi, filiam dilectisſimam. Cum duo alias potisſimum ſint, qvibus conjugum cenſeatur felicitas, ſi & concorditer vivant, & liberis minime careant: neutrum illis Numinis beneficio defuit. Qvamdiu enim convixerunt inter ſe, ſumma animorum conjunctione & qvaſi conſpiratione qvadam fuere notabiles. Adhoc natæ ipſis ſunt duæ filiæ; qvæ jam qvidem unà cum altera ſorore,cum matre & avia,parentis,mariti atq; generi fata acerbisſime plorant. Cæterũ pietatis,religionis & ſacrarum literarum ſtudioſisſimus fuit: in reliqva vita bonũ & virum,& civem,&Senatorẽ ita egit,ne propter offenſiones cum hominibus rixaretur, qvod eſt iracundiæ: nec propter voluptatẽ corporis cibo potuq; nimio ventrem

ſponte

ſponte oneraret, qvod eſt intemperantiæ: nec deniq; vicinos aut concives verbis factisq; læderet, qvod eſt inhumanitatis. Æmulationes ſi qvæ erant privatæ, in publicis congresſibus deponebat: veritatem fictis ſermonibus & fuco anteferebat; omnem deniq; vitam ita componebat, ut qvisq; ejus diligeret manſvetudinem. Atq; hisce artibus facile ſibi ad honores publicos fecit aditum, adeo ut variis officiorum axiomatibus vitæ ſuæ annos ferè diſtingvere potuerit. Dum primum cœnobii Johannæi Proviſor, mox Collegii mercatorii Protoſtates, mox Senator, mox templi Jacobæi & Nicolaitani Proviſor, mox judicii ſuburbani Præfectus, cum omnium bonorum adplauſu, electus eſt. Superiori ſeptimana in medio virtutis & honoris ſtadio aggresſa eſt Virum tusſis: qvæ pulmonum viſcus, imo totum corpus, ita adflixit, ut lecto adfigeret, & tandem, catharro ſuffocativo in ſocietatem qvaſi adſcito, neqvicqvam renitentibus Medicis, inter ſuorum adſtantium lacrymas & preces, ſeculo valedicere juberet; poſtqvam ſalutari illo ſacratisſimæ cœnæ Dominicæ viatico mature, ante tres ſcilicet ſeptimanas, ſeſe inſtruxisſet, ultimamq; â Confesſionario benedictionem accepisſet, & præter LV. annos VII. dies complesſet. Sit memoria ejus in benedictione. Vos Juvenes lectisſimi, veſtri officii memores ultimum virtuti hujus Viri officium freqventes præſtate. Cæterum ita vos gerite, ut qvando veſtra vita occiderit, ſuis ſe qvoq; laudibus ea conſolari posſit. VALETE.

M. DANIEL Schultz.

